

Nr. 16.

13a

OGDOADIS DISSERTATIONVM
DE
HAERESIOLOGIA
SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI
ET SECVNDI,
SECVNDA
DE ILLIS
DOCTRINAE
CAPITIBVS PRAE-
CIPVIS,
QVAE
PER HAERESES IN SCRIPTIS APO-
STOLICIS MEMORATAS DEPRAVATA SVNT,
ET AD QVAE HAERESES, ALIIQVE ERRORES SE-
CVLI PRIMI POSSVNT RE-
FERRI:
QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE SEPT. HVIVS MDCCXXIV. ANNI P.
PRAESENTE
D. IOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROF. ORDIN.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
RESPONDENS,
THOMAS ADAM Wieland/
BIBRACENSIS SVEVVS,
S. THEOL. CVLTOR.

HALAE MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.



15. OCDOVIIIS DISSESSATATIONVM
HABERESIOLOCIA
SEGALI POST CHRISTUM NATUM PRIMI
SBCANDV
DOCTRINAE
CAPITVS PRAE
CIPAV
PER HABERESIIS SCRIBETIS ABO
STODIIS MUNDIATAS IN PRAEVALIA SAVT
AT VD QDV HABERESIIS ALIOGEBRORIS SE
CUTTIVI FORANT RE
LERRI
DIS
DIOACHIMO IANGIO.
THOMVS A
BVRG
TITULUS
TITULUS
TITULUS
TITULUS
TITULUS
TITULUS
TITULUS
TITULUS



PRAE CIP VA
DOCTRINAЕ CAPITA,

Quæ per hæreses in scriptis aposto-
licis memoratas deprauata sunt, ac ad quæ istæ
hæreses possunt referri.

Σύνοψις.

Capita ista doctrinæ sunt quinque
§. I.

Primum de persona Christi: in quo
se duplex antichristianus exseruit:
unus circa naturam Christi dñ-
tinam §. II, alter circa humanam
negatam §. III. IV.

Secundum de officio Christi, præci-
pue bilistico §. V. VI.

Tertium de offici applicatione in
infligatione forensi. §. VII.

Quartum de applicationis istius
ordine in sanctificatione §. VIII. IX.
X.

Quintum de applicationis istius
vbi in libertate christiana §. XI.

Vbi exortus est error duplex: §.
XII. XIII. XIV.

Qui errores quinque maximi sunt

momenti, salutis fundamentum &
ordinem euerentes §. XV.

Pro qua gravitate ipsi in scriptis
Apostolorum abnegatio Christi tribui-
tur §. XVI.

Ad hæc quinque errorum capita
referri possunt reliqua omnia de er-
roribus notata §. XVII.

Speciam ea, qua in epistolis apo-
calypticas de Nicolaitis occurunt §.
XVIII. XXI.

Vbi explicatur locutio de throno
satane in ecclesia Pergameni §.
XXII.

Et quid in ecclesia Thyatirena in-
telligatur per Iesabelem §. XXII?

Et denique demonstratur, iam se-
cundo primo in ipsis Nicolaitis existen-
te Gnosticos §. XXV.

§. I.

A 2

§. I.



Sta doctrinæ capita;

quæ per hæreses sunt attentata,
sunt hæc quinque: Primum de
persona Christi: in quo alii natu-
ram eius diuinam, alii humanam
negarunt. Secundum de Christi
officio, præcipue sacerdotali & hi-
lastico. Tertium de officiis, seu
prætitæ redēptionis & satisfaçtioñis, applicatione in
iustificatione forensi. Quartum de applicationis huius
ipsiusque iustificationis ordine in regeneratione & re-
nouatione. Quintum denique de applicationis istius
ac iustificationis usu in libertate christiana, per confitam
pseudadiaphoriam in Epicuream securitatem & pec-
candi licentiam versa.

§. II.

Ad primum illud modo dictum doctrinæ capit,
de PERSONA CHRISTI agens, quod attinet, duplex
oriebatur antichristianismus in ecclesia; unus, qui diuinam,
alter, qui humanam Christi naturam in eius persona
impugnabat. A nonnullis diuinam eius naturam, seu
veram diuinitatem, fuisse negatam, manifestum est ex
prima Ioannis epistola, cap. II, 22, 23. *Quis est mendax,*
nisi qui negat Iesum esse Christum? hic est Antichristus, qui
negat patrem & filium. *Quicunque negat filium, nec patrem*
habet. Vbi obseruandum est: 1. erroris neruum o-
mnem fuisse in eo, quod negauerint, Christum, seu
Messiam, esse Filium Dei, atque ita ipsum verum Deum.
2. Hunc

DISSERTATIO SECUNDA.

5

2. Hunc ipsum errorem tendere ad negationem ipsius Dei , tanquam Patris. 3. Negationem Christi , tanquam Dei filii , isto tempore fuisse notam , ideoque locannem eam memorare prioribus verbis vna cum consequentia negationis in ipsum patrem recidente , quando dicit: *Hic est antichristus , negans Patrem & Filium.* 4. Eundem huius consequentiae veritatem adserere verbis subiunctis: *Omnis , qui negat Filium , neque Patrem habet.* 5. Ipsum non sine emphasi pro verbis: *etiam Patrem negat* , posuisse: *neque Patrem habet* , significando , Deum patrem , et si ut Deus non negetur , tamen haberi non posse , scilicet placatum & propitium , & tanquam Patrem etiam nostrum , nisi in ordine fiducialis confessio- nis , quod Christus sit ipsius filius proprius dictus , atque ita verus Deus . 6. Hunc nexus ab eodem confir- mari. v. 24. vbi adserit , hanc ipsam veritatem iam ab ipso Euangelicae economiae principio fuisse traditam , receptam ac conseruatam , cum certissimo adiuncto *mansionis in filio & patre* , seu communionis cum vtro- que. *Igitur* , inquiens , *quod vos audiuitis ab initio , in vo- bis maneto: si in vobis manerit , quod ab initio audiuitis , & vos in Filio & in Patre manebitis.* 7. Huc pertinent verba v. 14. 15. *Vidimus & testamur , quod pater Filium mis- serit saluatorem mundi.* *Qui igitur confitetur , Iesum esse filium Dei , in illo manet Deus , & ille in Deo :* Item c. V. 5. *Quis est , qui vincit mundum , nisi qui credit , Iesum esse filium Dei?* Item loca huius epistolae singula , quae de Iesu , tanquam *filio Dei* , & vera eius diuinitate agunt , ut c. I. 1. 2. 3. 7. c. III. 8. 23. IV. 9. 10. V. 9. 10. II. 12. 13. 20.

A 3

§. III.

§. III.

Altera *antichristianismi* species posita erat in negatione humanæ Christi naturæ. Sic enim corruptæ rationis vſu, qui merus abusus erat, decepti rubeant in contraria, vt alii argumentarentur ita: *Qui est verus homo, is esse nequit verus Deus, seu Dei filius.* Alii vero ita: *Qui est verus Deus, seu Dei filius, is nequit esse verus homo, seu Mariæ filius:* atque ita ἐνσάρκωσεν ipsus non fuit vera, sed apparens tantum; *falsumque est, Dei filium ita in carnem venisse, vt eam vere assumferit, in eaque se conspicuum reddiderit, & aduersa quenam sit perpeſsus, & cruci ipſe affixus.* Et hic est ille antichristianismus, quem Ioannes his annotat locis: 1. ep. c. IV, 3. *Omnis spiritus, qui non confitetur, Iesum Christum in carne venisse, non est ex Deo.* Et hic est spiritus antichristi, de quo audivisti, ipsum venturum esse, & iam nunc adest. Item epist. II, v. 7. *Multi impostores ingressi sunt in mundum, qui non confitentur, Iesum Christum venisse in carne:* hic est ille impostor, atque antichristus.

§. IV.

De locutione ἐν ταῖς recte hæc annotat B. ABRAHAMVS CALOVIVS. Bibl. Illuſtr. in 1 Io. IV, 3. *Mauult dicere, ἐν ταῖς, ne postmodum, vbi ἐνσάρκωθει, fuit filius Dei, non amplius caro mansisse, sed in deitatem abiisse, aut loco veræ carnis quoddam merum Φύτευμα fuisse fingatur;* quemadmodum hoc Marcion, illud vero Eutyches & fanatici commenſi sunt. Neque vero in carne filius Dei natura ἀποκατέστη ἀπεριόδου apparere potuiffet, nisi in carnem venifset, vel carnem seu naturam humanam assumfisset. Ad de quod particula ἐν pro eis quandoque adhibetur. Marc. I, 15. Luc. I, 17. 1 Thess. IV, 3. 1 Io. IV, 9. Ebr. IV, 17. Vnde
Drus-

DISSERTATIO SECUNDA.

Drusius ad h. l. Sic legimus ἐν οὐρανοῖς, πρὸς εἰς τὸν οὐρανόν. Sane
in ἡδείᾳ διάλεκτοι Ἀττικαὶ αλληλοῦ, sicut Ἡβραῖον πρὸς
υπερβασίαν, & motum ad locum denotat. Leu. XVI, 22. Neque
abnuimus, ea phrasē peculiariiter υἱούμεσθε S. Ioannem, ut of-
ficiū Christi & ωνονοπλανήτα salutis simul respiceret, que in die-
bus carnis consummata est: Quod in carne venit Iesu Christus
nascendo, crescendo, docendo, obediendo, & seruiendo,
patiendo, moriendo, resurgendo &c. Hebr. V, 7. X, 5, 6, 7.
8, 9, 19. Psalm. XL, 8, 9.

§. V.

Secundum doctrinæ caput, a spiritibus antichristianis impeditum, erat doctrina de OFFICIO CHRISTI. Hanc enim multi adeo deprauarunt, vt negarent, Christum nos a fulmine & iugo legis ita redemisse, vt per eam redemtionem digne applicatam salutem spiritualem ac eternam consequi possimus. Vnde effectum est, vt Mosem Christo iungerent, & circumcisōnem haberent pro necessaria, aliarumque Leuiticarum rerum necessitatēm vrgerent, Christi officio non quidem prorsus abnegato, at adeo tamen obscurato, vt nihil fere, nisi inane nomen, esset, certe vltra prophetiū axioma non tenderet. Huc præcipue pertinent complura loca ex epistola ad Galatas, speciatim ille Cap. V, 1, seqq. Perstat ergo in libertate, qua nos Christus liberauit, nee rursus subiiciatis vos iugo seruitutis. Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum. Tefor enim rursus omni homini, qui circumciditur, eum esse debitorem totius legis seruandæ. Exclusi etsi a Christo, quicunque per legem iustificari vultis & gratia excidisti. &c. Conf. v. II, & c. II, v. 3, 21. c. VI, 12, 13, 14, 15. Item

c. IV.



8 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & II.

c. IV. 10, II. Observatis dies, menses & anniuersaria tempora. Timeo, ne frustra laborauerim erga vos. Et has corruptelas vocat Paulus auersionem a Christi euangelio in aliud euangelium, turbationem & Euangelii Christi depravationem, anathemate dignam. c. I, 6. seqq. fascinum, veritati euangelice oppositum c. III, 1. Et huic ipsi argumento accommodata est vniuersa tractatio huius epistolæ didascalica: h. e. istis doctrinæ de officio Christi corruptelis Paulus opponit tractationem de officio Christi grauissimam, qua adserit illustre redēctionis beneficium, cum applicatione ad impotentiam legis ad salutem, nec non ad immunitatem a condemnatione & iugo legis: item ad iustificationem per fidem in Christum, & ad libertatem christianam. Vide cap. II, 16. seqq. III, 1. seqq. IV, 4, 15. seqq. V, 1. seqq. Immo hoc ipsum esse primarium epistolæ scopum, Apostolus statim sub eius initium in ipsa eius inscriptione indicat: Graia, inquiens, & passa Deo patre & Domino nostro Iesu Christo, qui semet ipsum pro peccatis nostris tradidit, n. t. λ.

§. VII.

Idem argumentum Apostolus tractatione didascalico-elenctica prosequitur in epistola ad Colossenses c. II. Vnde liquet, præcipuum pseudodidascalorum illorum, quos ibidem refellit, errorem fuisse in hac ipsa doctrina de officio Christi, præcipue sacerdotali. Et cum ibidem, & adhuc significantius antea per maiorem capitum primi partem, Paulus dogma de persona Christi, præcipue de natura eius diuina, pluribus declarat, inde colligitur, eosdem spiritus πλάνας etiam illud ipsum depravasse, & ex hoc errore alterum illum de negata officiis Christi.

DISSERTATIO SECUNDA. 9

Christi virtute & efficacia deriuasse. Et eundem errorem errarunt isti, quorum corruptelas in epistola ad *Philippenses* commemorat, in primis c. III, 2. sqq. & quos ideo *crucis Christi hosties* vocat, ibid. v. 18. Huc etiam pertinent loca nonnulla ex epistolis Pauli ad *Corinthios* & ad *Timotheum*, nec non ex *apocalypticis* illis Apoc. II, & III. iam tum Dissertatione I. allegata.

§. VII.

TERTIUM DOCTRINÆ CAPUT, a pseudodidascalis tempore Apostolorum præcipue impugnatum, erat fidei articulus de officiis & redēptionis Christi applicatione in FORENSI & GRATVITA JVSTIFICATIONE PER FIDEM IN CHRISTVM. Quæ summi momenti veritas ut negaretur, aut corrumperetur, error de officio Christi, vt paulo ante ostensum est, essecerat: quanquam nonnulli etiam, doctrina de persona Christi ratione externæ confessionis salua, ad illos de eius officio & huius applicatione errores delapsi esse videantur, quemadmodum adhuc hodie fieri videntur. Illos vero, qui Christi redēptionem forensem & i&λασμ̄ negarunt, aut per pseudoiudaismum & præpostorum pro lege zelum obscurarunt, doctrinam de iustificatione forensi negasse, aut obscurasse penitus, docet res ipsa & is argumentationis nexus, qui a caussa ad esse&tum dicitur. Idem comprobant Apostolorum, præcipue Pauli, querelæ, speciatim in epistolis ad *Galatas*, *Philippenses* & *Colossenses*, cum studioſa & grauissima dogmatis de iustificatione commendatione & inculcatione vbique coniuncta. Et epistolæ quidem ad *Galatas* hoc argumentum esse præcipuum,

B ne-

nemo nescit. In ea ad *Philippenses* elenco suo perver-
sis nomodidascalis c. III, 1. seqq. opposito, v. 8, 9. sta-
tim subiungit egregiam confessionem de salute per
Christi redēptionem obtinenda, & per iustificatio-
nem applicanda, haud obscure indicans, hoc ipsum ne-
gatum fuisse a pseudodidascalis illis, salutiferæ crucis
Christi hostibus. Ex epistola ad *Colossenses* huc præ-
cipue pertinent ea, quæ in oppositione elenctica c. II,
10, 13, 14, 16, 17, 18. de salute per Christum parta, & de
eius applicatione ad remissionem peccatorum tradun-
tur. Et quamvis huius materiæ tractatio in epistola
ad *Romanos* didascalica potius sit, quam elenctica; in
ecclesia tamen Romana non defuisse eiusmodi nomo-
didascalos, qui salutem ex lege, seu eius obsequio, pe-
titum iuerint, ex iis, quæ capite X. occurrunt, facile
colligitur.

§. IIX.

Quartum doctrinæ christianæ caput, corruptelis non
solum in praxi, sed in ipsa etiam thesi depravatum, erat
doctrina de satisfactionis & iustificationis ordine in
SANCTIFICATIONE, seu RENOVATIONE. Cum
enim homines ab ordine veræ conuersationis abhorren-
tes audirent doctrinam Apostolicam de iustitia Chri-
sti, nobis ad salutem parta & per fidem apprehenden-
da, & sic sine vlo operum legis subsidio gratis ad sa-
ludem imputabili; multi hanc doctrinam ambabus
quasi vlnis amplexi sunt, sine ordine interioris conver-
sionis, seu veræ mutationis spiritualis. Existimabant
enim, nunc solam h. e. solitariam, inanem ac imaginari-
am, fidem sibi sufficere, ea que confici omne christia-
nismi

DISSERTATIO SECUNDA.

nismi negotium ; ex ipso hoc fidei officio opinati, mutationem & *μεταμόρφωσιν* interioris, immo totius, hominis spiritualem, cum vita etiam interius legi sanctissimae conformanda, esse *en τῷ άδυτῷ*, humana imbecillitate & sollicitationum vehementia obstantibus. Nec decumanus hic error in sola habet praxi, sed, ad ipsam quoque theoriam translatus, perpetuum omnis impiæ praxeos fomentum ac incitamentum existit. Videmus hoc ipsum in singulis fere epistolis Apostolorum.

§. IX.

Et in ea quidem, quæ ad *Romanos* prescripta est, hoc erroris βούλησα grauiter detectum & destructum deprehendimus Cap. III, 8. faciamus mala, ac peccemus, ut inde cveniant bona, h.e. vt Dei gratia in ipsius gloriam, in remissione peccatorum copiosorem, se se exlerere possit. Et c. VI, 2. Perseueremus in peccato, ut gratia eo reddatur abundantior : &c v. 15. Peccemus, seu peccare licet, quia non sumus sub lege, sed sub gratia. Huic errori theoretico-practico maior pars epistolæ *Iacobi* opposita est, præcipue caput eius II. quo *fides solitaria* & *imaginaria* excluditur, nec alia iustificatio per fidem pro genuina habetur, quam quæ se ipso genuinorum operum effectu etiam iudicio hominum probet. Idem inter alia intendit *Ioannes* epistola priore, speciatim c. I, 6. & c. II, 4, 6, 9, 15. vbi iactationem profanorum hominum inanem de *communione cum Deo* & *purificatione per sanguinem Christi*; item eam de cognitione Dei salutari, seu fide, & de *commerciali cum Christo & luce*, grauissimis verbis retundit, a defectu effectuum & necessariorum cha-

72 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & II.

raeterum ad ipsum iurium & beneficiorum spiritualium defectum argumentatus. Prætereo reliqua huius epistole momenta hoc pertinentia.

§. X.

Neque existimandum est, hunc errorem grandem occupasse tantum aliquot auditorum animos, sed illum ipsum, cuius quidem natura insitum, ideoque ab Apostolis in singulis epistolis solicite destructum, etiam a multis pseudodidascalis fuisse incrustatum, exornatumque a sollicitate inculcatum, quis dubitaret? in primis cum clara huius rei testimonia extant. Nam in epistola ad Ephesios c. V, v. 5. Apostolus istos πλάνους notaturus: *Nemo, inquit, vos decipiatis manibus verbis u. r. a.* Idem videoas, 1. Io. III, v. 7. *Nemo vos decipiatur.* Qui iuste agit, iustus, seu iustificatus est, qui vero peccatum facit, ex diabolo est, quicquid de iustitia fidei iactitet. Et Apostolus Iudas hoc ipsum pro falsorum doctorum criterio habet, *quod dei gratiam ad libidinem transferant.* v. 4. Et hoc ipsum est, quod illi istorum characteres produnt, quibus alibi ipsis tribuitur ministerium ventris, & multiplex vita impietas, ipsi eorum theoriæ pessimæ conformis. Rom. XVI, 17, 18. Phil. III, 18, 19. 2. Tim. III, 1. seqq. 2. Pet. II.

§. XI.

Ad quintum denique dogma quod attinet, est illud de satisfactionis & iustificationis usu in LIBERTATE CHRISTIANA, seu per Christum parta: idque non minus corruptum est, quam reliqua. Cuius depravationis & erroris analogia cum errore de renovatione summa est, ita ut huius pars, certe effectus sit certissimus. Etenim qui iustificantem DEI gratiam cum merito Christi

J. 3 DISSE^TRAT^O SECVNDA.

13

Christi ad peccandi libidinem transferunt, ut hoc cum aliqua veri rectique specie facere possint, comminiscuntur eiusmodi libertatem *spiritus christianam*, quæ nil nisi ipsa effrenis, & interdum simul externe honestior, seu aliquanto moderationior, *carnis licentia* est.

§. XII.

Atque ita duplex hoc seculo erat error circa dogma de *Libertate Christiana*: unus ortus ex errore de *officio Christi i& asinæ*, & de eius applicatione ad iustificationem gratuitam. Istud enim qui cum hac negabant, non poterant non pro libertate, insigni charismate fidei, immo multorum charismatum, seu beneficiorum, cumulo, iugum legis morale & ceremoniale, sub necessitate ad salutem, imperitis obtrudere. Alter circa libertatem error gignebatur e suppositæ forensis satisfactionis & iustificationis abuso turpissimo, &c, vti iam dixi, mera *carnis licentia* erat, nescio quam adiaphoriam, quam vulgo indifferentiam (*Mitteldinge*) vocant, comminiscens. Ad quam sicut ipsa naturæ corruptio citato quasi cursu serebatur, immo perrupto quasi aggere exundabat: sic eidem patrocinio suo dogmatico aerius adhuc calcar addiderunt *pseudodidascali*. Horum enim symbolum quasi & exitialis malorum esca erat illud corruptæ naturæ gratissimum: *licet, licet, licet!* quo illi rō *liber* pseudochristianorum illico non sine palpo excipiebant; adeo vt doctorum auditorumque impietatem dogmatico-practicam comprehendendi videres illo pseudoprophætarum veteris testamenti charactere: *si liber, licet!* Ezech. XIII. Lubentia enim, seu libido ac concupiscentia

B 3

tia

tia prava, erat fadus ille impieatis paries, quem dogmatico suo licet incrustabant pseudoprophete.

§. XIII.

Hoc est, quod grauissimis verbis descriptum videtas a Petro posterioris epistola c. II. vbi v. 19. pseudodidascali isti vocantur αὐτοὶ δὲ λοι τῆς φθονᾶς, servi corruptionis, & tamen ἐλευθερῶν ἐπαγγελλόμενοι, libertatem promittentes, seu annuntiantes, hoc annuntiationis istius exitialis effectu notato, quod illi, qui antea inquinamena huius mundi per agnitionem Iesu Christi, in ordine conuersionis admisssam, vere effugerint, iisdem rursus implicati superentur, adeo ut posteriora apud ipsos siant deterioria prioribus; cum agnitam &c iam tum tritam infestiae viam multo cum reatu relinquant, canibus ad vomitum, ac suibus lotis ad cœni volutabrum, reuerſis simillimi. v. 20, 21, 22. Quam promissam libertatem nil nisi turpem licentiam fuisse, res ipsa indicat. Quam vero grata ea fuerit corruptæ naturæ, & quam exitialis, illa eius proprietate indicatur, qua vocatur δέλεας, esca, & dicitur δέλεας ψυχὰς αἰσθητὰς, inescare animas inflabiles, seu nondum confirmatas, non minus quam pescatores ac venatores escis suis pisces ac volucres ferasque capere solent. v. 14, 18.

§. XIV.

Ethoc ipsum dogma plerorumque pseudodidascalarum nota videtur characteristica, eorum maxime, qui Rom. XVI, 17, 18. & Phil. III, 18. dicuntur ventris ministri; & ψυχὰς, τονῦμα μὴ ἔχοντες, homines animales, spiritu vacui ep. Iud. v. 20. vt pote quorum proprium erat, Dei gratiam ad libidinem, seu peccandi licentiam, transferre v. 4.

non

non solum praxi, sed ipsa etiam doctrina ac institutione, via, quæ ad cœlum arcta est, sic in immensum dilatata Matth. VII, v. 14, 15. Quod pseudoprophetarum ouina pelle incidentium proprium esse, ipse DOMINVS noster ibidem indicavit.

§. XV.

De quinque hisce erroribus notandum est generatim, ipsos maximi esse momenti, & ipsum *salutis fundamen-*
tum ac ordinem subuertere, atque ita fuisse *fundamenta-*
les, vt loqui solemus, & eos cum malitia proptugnatos
constituisse *heres*n propriæ dictam, doctrinis religionis
christiane primaria aduersantem. Etenim $\omega\sigma\tau\pi$ illud
 $\psi\omega\delta\sigma$ de persona Christi primum se diffundebat in do-
gma princeps de officio Christi, & euertebat *salutis no-*
stræ fundamen-
tum, inde vero vterius diffusum totum
salutis ordinem, in fundamentis istius, seu parte salutis, ap-
plicatione positum, luxabat. Et vt postremi erroris,
qui, in *licentia libertatem* mentiente positus, reliquis vi-
deri posset leuior, grauitatem damnumque summum
paucis ostendam, quomodo imaginis diuine instaura-
tio genuina, fine qua nulla datur cum Deo communio,
ibi locum poterat habere vllum, vbi semper euangelii
plane in culto & spinis faxisque obsito agro committet-
batur, h.e. vbi doctrina de *redemptione Christi* & de *iustifi-*
catione applicabatur hominibus a statu gratiae & ordine
salutis alienissimis, & vbi varii generis $\mu\alpha\sigma\mu\eta\zeta$, seu vani-
tates ac corruptæ consuetudines huius seculi adeo
non exuebantur, vt pro re omnino *licita* & *indifferenti*
haberentur? Qua ratione vera *animi mutatio*, quam sa-
crae litteræ $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\tau\alpha\gamma$ vocant ac $\mu\epsilon\tau\alpha\mu\epsilon\varphi\omega\tau\pi$, cum abne-
gatione

16 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & II.

gatione nostri ac mundi, ac cum imitatione Christi, non minus excludebatur, quam per illud exitiale dogma, quo, diuinitate & officio Christi negatis, & gratia forensis ac medicinalis necessitate exclusa, fere omnia referabantur ad liberum hominis arbitrium, anima corrupta ad sui restitutionem in vanum laborante & miseriae suæ relicta, immo eidem adhuc profundius immersa. Certe enim cum certissimo æterni exitii eventu æque periculose erratur, siue imaginis diuinæ instaurationem, quam salutis ordo requirit, sub larua hypocriseos & pharisaismi ex te ipso derives; siue eam, tibi ipsi tuisque viribus negatam, propter statum epicureisni, siue crassioris, siue subtilioris, e principio gratia euangelico non admittas.

§. XVI.

Et hæc ipsa horum errorum grauitas ex eo etiam cognoscitur, quod in scriptis Apostolorum ipsi tribuitur abnegatio Christi. Quo obseruato simul aliquot scripturæ locis, ad deïvorow huius locutionis percipiendam, lux quedam assunditur. Et primum quidem errorem, qui doctrinæ de persona Christi, seu veritati utriusque eius naturæ, oppositus est, recidere ad Christi abnegationem, manifestum est ex his epistolarum Ioannearum locis, quibus de eo agitur, vti supra §. I. & II. demonstratum est, nimirum epist. I. c. II, v. 22, 23, & c. IV, 3. epist. II, v. 7. vbi indicatur, negationem Filii simul recidere in negationem Patris. De abnegatione Christi, præcipue ad officium eius relata, agitur 2 Petr. II, v. 1. vbi dicuntur exorturi, immo, si consequentia consideres, iam tum ex parte exorti, pseudodidascalii, Dominum, qui ipsis rede-

redemerit, abnegantes. Qualis Christi abnegatio eiusdem ac omnis gratiae iacturam certissimam inducit, quemadmodum Paulus in epistola ad Galatas pluribus indicat. Et in hac ipsa epistola eam quoque Christi abnegationem redarguit, qua, Christo deferto, Mosi, seu Mosaicis institutis, adhærescebant neophyti a pseudodidascalis seducti, h. e. qua *iustitia fidei repudiata, & iustificatione forensi posthabita, iustitiam operum meritioriam & mercenariam sectabantur.* Denique etiam in *renouationis*, totiusque ordinis salutis neglegētu, cum impietate vitæ coniuncto, & per *pseudadiaphoriam*, qua licentia pro libertate habetur, fuisse pudendam Christi abnegationem, res ipsa ostendit, & Petrus epistolæ posterioris capite II. comprobat; vt pote qui, quæ v. i. de *abnegatione redemptoris* præmittit, omnino etiam de *præ licentie præconibus* vult accipi. Et hoc ipsum Iudas epist. v. 4. euidentissime testatur, quando verbis de Dei gratia per licentiam ad libidinem translata, *ἀπέστως* hæc subiungit: *Et solum Dominum Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum abnegant.* Quid? quod iubeamus e principio gratiae *impietatem & cupiditates prauas abnegare.* Tit. II, 12. Eas vero qui se cantur & explent, illi Deum, cuius agnitionem præ se ferunt, *ipsis factis abnegare* dicuntur. Tit. I. 16.

§. XVII.

Ad hæc vero *quinq[ue] errorum capita* nullo negotio referri possunt omnia, certe potiora, quæcunque de seculi Apostolici erroribus in ipsorum Apostolorum monumentis traduntur. Primo enim huc pertinent singula, vbi *hæresium tantum generatim* fit mentio, *sine*

18 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & II.

vlla ad specialia dogmata applicatione , vt Matth. VII,
15,16. Act. XX,29,30. Rom. XVI, 17, 18. 2. Cor. II, 17.
XI, 13, 14,15. Eph. IV, 14. Phil. I, 16. III, 18, 19. 1. Tim. VI,
3,4,5. In nonnullis vero horum locorum , si contextum
consideres, ad certa quedam dogmata respici, non
est dubium. Ea autem loca, quae in commemoratione
errorum specialis sunt determinationis, vti illa in e-
pistola Pauli ad Galatas, Philippenses & Colossenses, & po-
steriori ad Timotheum, nec non in epistolis Ioannis, & po-
steriore Petrina ac illa Iude, pertinere ad quinque erro-
rum capita haec tenus recensita, iam ostensum est. Et
eadem est ratio locorum in epistolis apocalypticis, vtpote
eodem pertinentium ; cum haereses in illis memoratae
oppositae fuerint partim doctrinae de Christi persona, par-
tim illi de eius officio , & officii applicatione ad iustifica-
tionem, & ad sanctificationem. Iстis enim potioribus do-
ctrinae christianae momentis negatis, aut depravatis,
pronus fuit prolapsus in doctrina ad Judaismum aliquem
præpostorum, seu ad christianismum periculosisime iu-
daizantem ; in vita vero praxi partim ad hypocrisim,
partim ad multam impietatem & impuritatem, etiam vita
pagana apud multos deteriorem. Et si quia aliorum ge-
nerum errores isto tempore disseminati & assumti sunt,
e corrupta philosophia, sive Iudeorum, sive pagano-
rum, præcipue mystica, seu, pseudomystica petiti; ni-
hil fuisse evidentur aliud, quam istorum quinque capi-
tum errororum incrustamenta & pigmenta, aut etiam
appendices ac propagines quedam.

§. XLIX.

Cum vero in Apocalypsi bis expressa fiat mentio Ni-
cola-

DISSE^TRAT^O SECVNDA.

19

colitarum, primum in epistola ad ecclesiam Ephesinam c. II, 6. deinde in ea ad Pergamenam, ibid. v. 14. 15. opere est pretium, vt paucis in horum hæreticorum indolem inquiramus. Nicolitarum nomen hic non esse proprium a Nicolao aliquo, tanquam sectæ auctore, sic dictum; sed mysticum, seu figuratum, stilo huius libri conueniens, manifestum est e v. 14. 15. vbi, quod dictum erat de Bileamo & Bileamis istorum temporum nouis, de Nicolaitis explicatur, voce Bileam Hebræa sic Græce redita. Nam quod Hebræis est בְּלָע Bileam a בְּלָע absorpsit, deuorauit & עַם populus, id Græcis est Νικόλαος, a νικάω, vinco, domo, & λαὸς populus. Atque ita inter voces Bileam & Nicolaus non maior est differentia, quam inter voces Κινά & Πέτρος. Vnde recte censet Cl. VITRINUS in Anacrise Apoc. adh. I. In tanta luce litterarum vix serende sunt ineptie istorum hominum, qui ex IRENAEO, EVSEBIO, EPIPHANIO alisque veterum nobis obtrudere conantur auctorem hæresis huius Nicolaum, proselytum Antiochenum, Diaconis primis ecclesiæ Hierosolymitanæ Hellenisticæ adscriptum. Et vere absurdæ est fabula, quæ de hoc sancto & honesto viro cuditur. Veteres nimirum legentes, quæ in hoc libro Apocalypsis de quadam Nicolitarum hæresi traduntur, & de mystico huius nominis sensu non cogitantes, quæsuerunt Nicolaum quendam, huius sectæ auctorem. Quem cum alium non reperirent in monumentis antiqui temporis, præter Diaconum illum Hierosolymitanum, imposuerunt illi personam, quæ huic scenæ optime conueniret; sed vero memoriam illius viri, quæ in Actis summa cum laude commendatur, dehonestarunt. u. r. λ. De ipso vero genuino nominis Nicolitarum sensu ibidem hæc habet nequaquam im-

C 2

pro-

20 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & II.

probanda: *Quenum vero horum Nicolitarum, siue etiam Bileamitarum, doctrina fuerit & opera, liquet ex epistolis, posteriori quidem Petri c. II. & Iude, in quibus hi homines graphicè depinguntur. Obtenu inculcandæ suadendæque veræ libertatis christiane solutas esse docuerunt leges, quibus carnarium libidinum exercitium restringitur, & officium magistratui ciuili debitum præcipitur. -- Quo doctrinæ instituto hoc consequbantur, vt alios sibi obsequiose obnoxios redderent, & suæ illos manciparent voluptati, eorumque mores flagitoso & simul astuto consilio corrumperent: ad exemplum Bileami, qui olim simile scandalum per astum Israelitis obiecerat. &c. Conf. Num. XXV, 18. XXXI, 16.*

§. XIX.

Ad epistolas Apocalypticas progressi merito consideramus reliquarum etiam haeresium in ecclesiis Asiae, quarum in iis fit mentio, proprietatem, postquam earundem iam in Dissertat. I. generatim facta est recensio. In ecclesia Ephesinâ, ante factam expressam Nicolitarum mentionem, memorantur malî, præcipue illi, qui Apostolos mentioni deprehensi sint mendaces c. II, v. 2, 9. Quo nomine ipsi Nicolitæ iam in antecessum notari videntur, & ita quidem, vt Christus eos respectu affectatæ auctoritatis falsaque doctrinæ vocet falsos, seu mendaces, apostolos, deinde ipsum mala opera generatim commemoret, & Ephesinam ecclesiam collaudet, quod nec falsam doctrinam, nec pessima opera istorum hominum prober, sed ab ipsis omnibus & que abhorreat. Et ratione doctrinæ quidem Nicolitæ, seu pseudapostoli, Ephesini procul dubio fuerunt iidem peruersi nomodida scali, qui, doctrinæ de persona, aut officio, Christi partim negata, partim

DISSERTATIO SECUNDA.

21

tim deprauata, *Iadaismum* potius, quam Christianis-
mum profitebantur, & a Paulo in posteriori epistola ad
Corinthios c. XI, nec non in iis ad *Galatas*, ad *Philippenses*,
ad *Colossenses* & ad *Timotheum* notantur, & quos Ioannes
in epistolis suis *antichristorum* nomine notat. Et quia
Nicolaitis præter doctrinam depravatam (de cuius parte
aliqua vide v.14.) Christus etiam tribuit *opera* merito de-
testanda, de illis ipsis quam conuenientissime accipi-
mus descriptionem 2. *Petri* c. II. & *Iudee* epist. v. 8. seqq.
vbi operum istorum turpitudo pluribus enarratur.

§. XX.

Ecclesia *Smyrnensis* (c. II. v. 8. seqq.) habuisse dici-
tur heterodidascalos, qui se pro *Iudeis* gesserint, nec ta-
men *Iudei* fuerint, sed potius e schola satanae egressi
Smyrnenses fideles ipsumque Christi euangelium mul-
tis excepérunt criminationibus. Vbi voce *Iudei* non
intelligi *Iudeos*, religione amplius tales, sed mystice, aut
potius grammaticē, vi etymologicā, *confessores*, res
ipsa indicat. Etenim si ciusmodi πλάναι se pro *Iudeis*
διαχειριζοῦ talibus gessissent, nihil habuissent commercii
cum christianis, nec Christus negasset, ipsos esse *Iudeos*.
Gente tamen, & olim etiam religione ipsos *Iudeos* fuisse,
vix est dubium. Et hoc ipsum indicari videtur voce
συναγωγής, ecclesiæ judaicæ alias propria; ita ut sensus sit,
ipsos quidem synagogam *Iudaicam* reliquisse, sed pro
ea synagogam, seu scholam ac disciplinam, satanæ esse
ingressos, & ex hac infestasse ecclesiam Christi, commu-
nione cum ea per nominis Christi professionem iactata.
Non tamen negauerim, fuisse inter illos etiam quosdam
e paganis adhuc semipaganos, immo paganis reliquis

C 3

certa

certa ex parte haud meliores, potius deteriores; cum licentiam scortandi & commercia cum idolis cum Christianissimo coniunxerint, vti §. sequenti videbimus. Et hi ipsi fuerunt quædam Nicolitarum progenies. Quemadmodum enim istos Petrus ac Iudas inter alia a blasphemie criminis describunt: sic hi eodem se inter Smyrnenses obstrinxisse dicuntur. Ceterum eiusdem generis esse ea, quæ de Iudeis non-Iudeis & de synagoga satanae in ecclesia Philadelphensi c. III, 9, dicuntur, ipsa phrasologia indicat.

§. XXI.

In Pergamena ecclesia c. II, v. 12. seqq. iidem maligni spiritus nidulati sunt, qui antea Nicolaitæ vocantur; & hac quidem eum differentia, quod, cum in ecclesia Ephesina recte explorati, & pro iniuitate sua cogniti, haud ferrentur, & ea ideo laudetur, nec illi Smyrnensis probarentur, sed hi potius ab ipsis calumniis impietarentur; inter Pergamenses inuenient affæclas & lestatores: quam ob rem istorum ecclesia, graui huius consortii exprobatione, ad penitentiam excitatur. c. II, 14, 15. Paret vero ex hoc loco, inter opera Nicolitarum pudenda fuisse scorrationes & commercia cum idolis impiarum gentium; vt pote quæ contra decretum synodi Hierosolymitana, quo ea expresse prohibita fuerant, pro rebus *adiaphoris* habuerunt. Qua ratione in ipso conuenit descriptio Petri etiam hac in parte, quod, cum ipsi essent servi & mancipia corruptionis; aliis tamen libertatem promiserint, seu alios sub nomine libertatis christiane, tanquam eisæ quadam, ad peccandum in transuersum actos, sibi obnoxios fecerint.

§. XXII.

DISSERTATIO SECUNDA.

23

§. XXII.

Doctrinam vero Bileamiticam, seu Bileamiticæ similiem, de qua agitur v. 14. non esse diuersam a doctrina Nicolaitica, quæ v. 15. memoratur, inde liquet, quod verba commatis 15. e verbis commatis 14. per consequentiam deducantur, hoc modo & sensu: *Habes aliquos, qui dediti sunt doctrinæ Bileami in commerciis cum scortatoribus & idololatris, atque ita, & hos, cum Bileamitici eiusmodi spiritus vi nominis Hebræi reuera sint Nicolaitæ, u& o&v, etiam tu, ecclesia Pergamena, non solum Ephesina, sed tu etiam, habes homines Nicolaitarum doctrinæ addictos.* Idem, nempe *Nicolaitas* esse ipsos *Bileamitas*, confirmat Petrus posterioris epist. c. II, quando v. 9, 10, 11, 12, 13, 14. detestanda Nicolaitarum opera recenset, & de ipsis istis operum auctoribus v. 15, 16. ait: *relicta via recta aberrant, secuti viam Bileami. &c. quæ comparatione inserta v. 17. seqv. pergit in flagitorum antecedentium serie pertexenda.*

§. XXIII.

Thronus vero satani, qui Pergami fuisse dicitur, procul dubio est sedes idololatriæ, superstitionis ac nequitiarum. Nam Pergamus idolorum cultui præ aliis Asiae vrbibus superstitiose dedita fuit, *Aesculapii sanu* ad idolomaniam tanto cum zelo adhibito, ut eius antifites, ciuili simul potestate instructi, aut per magistratum sibi obnoxium redditum, in confessores Christi, quod ab idolatria abhorrebant, sauerint, *Antipa*, confessore præcipuo, e medio sublato. v. 13.

§. XXIV.

In *Thyatirena* ecclesia, huius permisso, seu deficiente.

24 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & I.

ente, qui opponendus erat, iusto zelo, Apoc. II, 20. docuisse dicitur *Iesabel*, qua se vatem iactans Dei seruos in erroris & impietatis, h. e. *idolatrie & scortationis*, commercium protraxerit. Vbi, quænam fuerit hæc *Iesabel*, queritur? Illustrabo hunc locum aliquot aphorismis historico-exegeticis:

1. Tempore Apostolicæ ecclesiæ diuersas etiam fœminas prophetiæ dono fuisse instrutas, notum est inter alia a familia Philippi septemuiri ecclesiæ Hierosolymitanæ. Act. XXI, 9.
2. Non est dubium, quin satanas vti mares, ita fœminas quoque aliquot, *νανογῆλας* spiritu impleuerit, vt donum prophetiæ sibi arrogauerint, afflatu satanæ & propriae phantasiæ effectu pro inspiratio-
ne & oraculo Dei habito. Quemadmodum his-
ipsis in Asie locis seculo II. labente factum videmus
a *Priscilla & Maximilla*, Montani affectis.
3. Eiusmodi fœmina, quæ vel ob familiæ splendorem,
vel ob diuinarum gloriam, simul auctoritatem
insignem obtinuit, tempore Ioannis vixit inter
Thyatirenses, & nonnullos suo impuræ & doctrinæ
& vitæ fascino adeo incantauit, vt eos ad idolola-
tria & scortationis communionem abduceret.
4. Hanc vero fœminam Christus vocat *Iesabelem ησαΐ*
αβαλογιαν veteris *Iesabelis*, quæ collapsio ecclesiæ &
reipublicæ statu tempore Achabi idem præstitit,
quod olim Bileam; vtpote fœmina luxuriosa & ad
omnem libidinem proiecta, & idolomania Sidon-
iorum Baaliticæ adeo dedita, vt maritum quo-
que multosque Israélitas eidem manciparet. Et
ipsum

II A DISSERTATIO SECUNDA.

25

ipſam quoque Iefabelem ſe pro vate & ſacerdote Baalis geſiſſe, non contemnendis rationibus probatum videoſ a Cl. VITRINGA ad h.l. in *Anacriſi Apocal.* p. 139. ſeqq. Vide de ea i Reg. XVI, 31. XVIII, 4, 22. 2 Reg. IX, 22, 30.

5. Non vero opus eſt, vt cum eodem auctore per Iefabelem intelligamus falſos doctores Thyatirenos. Quod ſi enim hos tantum, non vero fœminam aliquam fanaticam, intellexiſſet Christus, non Baaliticæ Iefabelis, ſed pseudoprophetaſ Baaliticorum nomine eos inſignituruſ fuſſe videtur. Fœminam vero iſtam famoſam falſorum quoque doctorum ſubſidiovſam fuſſe, facile largior. Atque ita nomen Iefabelis manet myſticum, etiamſi ſupponamus fœminam, peſſimoruſ factoruſ ducem. Epifcopi vero vxorem eam fuſſe, vt cum BEA, HAYMONE, ANSELMO, aliisque (a quo- rum ſententia nec CALOVIVM alienum eſſe vi- deo) ſtatuañuſ, nullam plane rationem video, ne probabilem quidem.
6. Iam ſi quæras, cuiuſnam generiſ hærefiſ fuerit Ieſabelis? prona eſt responſio ex additiſ verbiſ, quibuſ dicitur ſeruos Dei ad idolothyta & ſcortatio- nem pellectos abducere. Id quod Bileamitarum, ſeu Nicolaitarum, libertatiſ in licentiaſ verſe ſpecie hanc in rem abutentiū, fuſſe propriuſ, iam oſtenſum eſt in antecedentiibus.
7. Quandoquidem vero Nicolaitæ iactare ſolebant abdita myſteria, & horum prædicatione imperitoſ deci- pere, ea Christuſ v. 24. itidem vocat qui- dem

D



dem *τὰ βάθη*, *profunditates*, sed addito nomine *τὰ Σα-
βαῖα*, indicans falso creditorum istorum mysterio-
rum originem, auctorem, & naturam. Quam my-
steriorum iactationem pluribus descriptam videas
in epistola ad Colossenses c. II, & ad eandem Pe-
trus epist. post. c. II, v. 18, respicit locutione :
ιπέρογνα μελαύτων Φθεγγόμενοι; *præsumida vanita-
tis verba prolocuti* &c.

§. XXV.

Hæc haec tenus de hæresibus *ἀπολίταις* (vti Petrus
ep. 2. c. II, 1. Ioquitur) quarum passim in scriptis aposto-
lorum fit mentio. Iam non immerito queritur, an in-
ter hæreticos, hæresium istarum auctores & propaga-
tores, fuerint etiam famosi illi **GNOSTICI**; in quibus
describendis tam operosi sunt scriptores ecclesiastici,
principue **IRENAEVS** & **EPIPHANIUS**, & num hi
Gnostici iam tum seculo hoc Apostolico orti sint ac in-
notuerint? Hoc est, quod cum **VSSERIO**, **PEARSONO**,
DODWELLO, aliisque pluribus affirmio, sequen-
tibus nixus rationibus :

1. *Gnostici* sic dicti sunt a iactata rerum diuinarum
γνώσει, καὶ ἐξοχὴν tali, h. e. sublimiori & mystica.
Fuisse vero eiusmodi *γνώσεως* iactatores iam suo
tempore, testatur Paulus ad Tim. ep. I, c. VI, 20.
Timotheum aduersus *ψευδωνύμους γνώσεως*, falso sic
dictæ cognitionis, *βεβήλας νεοφανίας* & *ἀντιθέσεις*,
profanos clamores & *oppositiones*, præmuniens.

2. *Gnostici* vi falso credita *γνώσεως* suæ iactabant pro-
funda mysteria, aliis haud patefacta; & hac iacta-
tione imperitorum animos averitate in transuer-
sum

DISSERTATIO SECUNDA.

27

sum actos infatuabant. Hoc ipsum est, quod Christus Apoc. II, 24. Thyatirensis ecclesiae Nicolaitis tribuit, profunditatem satanae in iis exprobrans; quemadmodum Petrus epist. II. c. II, v. 18. οὐτέποντα ματαιότητα in iis notat.

3. Gnostici mysteria, seu deliria sua mystica, a satana decepti præcipue hauserant e lacunis philosophiae *Orphicæ & barbaricæ* orientalium, in quantum hæc corrupta erat; nec non *Pythagoricæ ac Platonicæ*, in quantum utraque itidem erat depravata. Et hoc ipsum est, quod Paulus in sui temporis impostoribus, qui speciatim ecclesiam Colossensium turbabant, notat: *Circum spicite, inquiens, ne quis vos depraedetur pro philosophiam & inanem deceptiōnem.* &c. Col. II, 8.
4. Gnostici cum mysteriorum profundorum iactatione summiam & plane stupendam vitæ impuritatem & impietatem coniunxerunt, adeo, ut operum suorum turpitudine bonis omnibus plane fierent infames. Hanc vero ipsam infamiam notam, a flagitiis petitam, impostoribus cui apostolici iniuri, ex epistolarum Petri & Iudæ locis iam saepè allegatis manifestum est. Idem confirmat Christus ipse in epistolis Apocalypticis, ut paulo ante vidimus, *Nicolitarum* non solum doctrinis, sed operibus etiam detestandis grauiter notatis. Quæcum ita sint, hinc porro per se manifestum est, *Gnosticos* fuisse ipsos istos *Nicolaitas apocalypticos*, seu *Asiaticos*, in epistolis apocalypticis notatos.

D 2

Di-

Diuersorum autem generum eos fuisse, ita ut partim in *doctrina*, partim in *vita*, diuersa habuerint principia, diuersaque sectati sint instituta, corrupta tamen omnia, e diuersis scripturæ locis, quæ de hisce impostoribus agunt, inter se collatis, potest colligi. Huc accedit, quod alii religione olim Iudæi, alii vero pagani idolorum cultores, antea fuisse videantur. Sed de his suo loco ex scriptoribus ecclesiasticis plura.

ERRORES ALII, Qui non quidem in hæreses, at in schismata tamen, aut contentiones, versi sunt.

Συνοψία

Controversia omnis hic versatur in quaestione de obligatione legis moralis, §. I.
Quæstio hac erat binembris: pars unius de neophytiis et Iudaïs, §. II.
Partim de neophytiis et gentibus aliis, §. III.
Quibus promulgatum est decre-

tum in synodo Hierosolymitana, §. IV.
A qua controversia differt illi, a nomodidascalis pseudoebræianis mota, §. VI.
Qui ipsorum error coniunctus erat cum illis de persona & officio Christi, §. VI.

§. I.

HAec tenus de erroribus grauissimis, qui hæreses *ἀπωλεῖαις* constituerunt. Hisce nunc subiungenda est disquisitio quædam de erroribus per se quidem non leuibus, ita tamen non compara-

DISSE^{II}TATIO SECUNDA.

29

ratis, vt, solicitato & subuerso ipso fidei ac salutis fundamento, in se^tas, seu hæreses, abierint: qui tamen genuerunt multas in ecclesiis dissensiones, multaque certamina. In his vero res fere omnis redibat ad quæstionem de *obligatione legis moralis & ceremonialis*. Quæ quæstio, si statum ecclesiæ apostolice curatus consideremus, erat duplex, in duo hæc abiens momenta: 1. de *Iudeis* ad Christum conuersis: *vtrum hi adbuc ad legis ceremonialis obseruationem sint obligati, nec ne?* 2. de neophytis e gentibus aliis: *nun hi vi christianismi etiam ad illam Iudaismi partem, que in ceremoniis Leniticis posita erat, adstringendi sint?* De quibus quæstionibus, quæ hoc tempore ecclesiæ nascenti plurimum negotii faceſſiuere, vt ſcorſum agatur, opera erit pretium.

§. II.

Ad controuerſiam illam de *Iudeis* quod attinet, hi obſeruationi ceremonialium inde ab antiquissimorum patrum memoria adeo erant afficti, vt, confuetudine perpetua & religioſa ad Dei iuſſitentis auctoritatēm accedente, eam in alteram quaſi naturam suam conuerſiffent, vel ipſa vita cariore. Quare ſurgente œconomia euangelica quam ægerime & difficultiſe ab ea dimouebanrur. Non omnium tamen vna erat ratio, aut vnuſ scopuſ, in obſeruatione rituum Mosaicorum: ſed hic diuersus erat pro diuersa cognitionis mensura; ſecondum quam alii erant imbecilliores, alii magis confirmati. *Imbecilliores* ſupponebant *necessitatem* aliquam, non quidem tanquam cauſe ad ſalutem, ſed tamen *obligationis* erga legem ſacrosanctam, eiusque præſtantiam

D 3

&

30 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & II.

& auitam consuetudinem. *Confirmatores* vero in mera versabantur συγκαταβάσει, ædificationem infirmorum si-ne offensione promouendam pro scopo habentes. Atque ita in neruo euangelii primario, qui erat *salus in Christo* obtainenda, conspirabant quidem & coalescebant; at non semper & vbiique satis conuenienter & amice; sed sepe ita, vt alii aliis offensioni essent. Et his Apostolus Paulus in epistola ad Corinthios priori, c. VIII, IX. & X. suum ipfius exemplum ad imitationem proponit, & in epistola ad Romanos c. XIV, XV, 1. seqq. monita dat in utramque partem. Multa adhuc alia scripturæ apostolicæ loca ex hac ipsa controuersia illustrari, res ipsa recte considerata ostendit.

§. III.

Altera controuersia erat de *neophytis e gentilibus*, utrum illi adstringendi essent ad circumcisionem & ad reliquum legis ceremonialis obsequium, eidem si non ex necessitate ad salutem, tamen e debita reverentia & in gratiam Iudeorum prestandum? Apostoli quidem & viri apostolici, patefactis per Petrum, secundum prædictionem Christi. Matth. XVI, 19. *foribus gratie* ad ingressum apud gentiles, speciatim Cornelium Act. X, XI. ad gentes digressi ipsis purum prædicarunt Euangelium, ab omni ceremonialium iugo plane immune, facto initio inter Antiochenos Act. XI, 20. seqq. Paucissimi tamen ex Iudeis neophyti hoc euangelicæ libertatis priuilegium capiebant, ideoque id agebant, vt etiam gentiles, in euangelii communionem admissi, aliquod ceremonialium iugum

DISSE^RTAT^O SECVNDA.

31

gum subirent. Quod quando haud obtinebant, offendebantur. Quæ offensio etiæ erat accepta; solicite tamen & prudenter a gentilibus neophytis, non minus, quam a neophytis e gente Iudaica confirmationibus, erat eiuitanda. Quem in finem Paulus hosce in epistola ad Romanos c. XIV, & priore ad Corinthios c. VIII, IX, X. variis monitis instruit; quemadmodum ibidem etiam imbecillioribus dicit, quod ipsorum status exigebat. Et neophyti gentiles a iugo legis ceremonialis immunes esse præstandos, synodus Hierosolymitana sub præsidio Apostolorum decernebat, peculiari decreto de libertate ista concepto & promulgato. In quo tamen in gratiam infirmiorum ex Iudeis cautum fuit, ut ab eſu ſanguinis & ſuffocatorum abſtinerent. Act. XV.

§. IV.

In decreto isto neophytis ipsis e gentibus diuersis iniungitur etiam abstinentia ab *idolothytis*. Quam cum nonnulli in ecclesiis Asiaticis a pseudapostolis decepti haud curarent, grauiorem ipsius Christi censuram in epistolis apocalypticis incurribant, ut antea percepiimus. Et hunc ipsum libertatis abusum Apostolus in nonnullis Corinthiorum reprehendebat. Cor. VIII, 10. X, 20, 21. In quorum locorum contextu tamen manifestum est, nonnullorum idolothitorum efsum fuisse licitum. Vnde is omnino distinguebatur in *idololatricum & vulgarem*. Eſus reliquiarum ex idolothytis idolatricus vigebat in eiusmodi coniunctis, quæ in honorem idoli in ipsis idoleis instituebantur, aut ubi pars

pars de cibis , aut de extis, in focum idololatricum proiiciebatur , Dei alicuius nomine in id inuocato. Eius vero vulgaris erat is , quando ὄφοπάλης , antequam ad macellum carnes ferret , aliquid de iis in aram dederat ; aut quando carnium idolis consecratarum reliquiæ sacerdotibus cedeabant , & ab his vendebantur in publico macello , & absumebantur in epulis communibus extra idoleum , & sine vlo cum idololatria commercio. Eius hic posterior erat licitus , quando sine infirmorum offensione poterat fieri ; illicitus , quando cum ea erat coniunctus . Eius vero prior erat omnino illicitus per se ; vtpote secum ferens aliquam idololatriæ participationem . Et talem Christus reprehendit in ecclesiis quibusdam Asiaticis . Interdictum synodi Hierosol. in caussa idolothytorum erat generale , abstinentiam ab idolothytis talem iniungens , qua partim ipsum idololatriæ commercium in perpetuum , partim etiam infirmorum offensio ad tempus , euitarecurt .

§. V.

Cum vtraque vero ista controuersia de obseruatione legis ceremonialis , partim ad *Indeos* , partim ad *gentiles* relata , nequaquam confundenda est illa , quæ fidelibus cum eiusmodi *pseudochristianis nomodifcalis* intercedebat , qui e Iudeis egressi christiani nomine potius , quam re ipsa , erant , h.e. qui negabant , Christum , seu eius euangelium , ad salutem sufficere , & hominem coram Deo gratis iustificari propter Christi iustiti-

DISSERTATIO SECUNDA.

- 33

stitionem fide apprehensam, & e contrario Christo Mosem ita iungebant, ut iure ad salutem (quod post lapsum tantum habemus ex euangelio) cum eiusdem adeundae ordine confuso, contendenter, iustitiam & salutem petendam esse e nostro & proprio merito; vt potest in ordine obseruatae legis moralis & ceremonialis, praecipue circumcisionis, obtinendam. Cuius erroris principium praecipue in eo erat, quod, ineffabili humanae naturae corruptione & spirituali legis indole non agnita, neque illa pro valde corrupta, neque haec pro adeo sublimi reputabatur. Qui error porro hunc gignebat, aut adiunctum habebat, quod existimaretur, legem moralem ideo latam esse, ut per eam subseruiente cultu Leuitico ad salutem perduceremur. Quia ratione non poterat non utrumque euangelium (per se quidem unicum tantum) scilicet illud *promissionis & implerionis*, obscurari, immo negari, & penitus everti. Vnde legi hunc in finem studere, erat dominus vobis dominus vobis, sed legem iustitiae, nimis propriam; sed id, quod illa requirebat, non attingere, &c, quod promittebat, in tanta cœduvapla non obtinere. Rom. IX, 31, 32. Sic etiam opera legis, siue moralis, siue ceremonialis, hoc sensu & respectu erant opera hominis, e propriis viribus peracta, quibus ille propriam suam iustitiam ad salutem coram Deo erigere laborabat, repudiato, saltem in speciem tantum admisso, euangelio: ibid. v. 32. conser. omnino c. X, 3.

§. VI.

Et hic ipse error apud omnes coniunctus erat
E cum

34 DE HAERESIOLOGIA SEC. I. & II. &c.

cum illo de *persona*, aut de *officio Christi*, supra descrip-
to, adeo ut ex illo, tanquam altero quodam princi-
pio, deriuaretur. Et istum qui fouebant ac propu-
gnabant, erant spiritus prætumidi, sectarii, immo
antichristiani, quibus cum Paulo in epistola ad Ga-
latas res erat. Vbi simul notandum est, ex duplice
illa controuersia priori, vtrum Iudæi & gentiles ad Chri-
stum conuersi ad legis ceremonialis obseruationem
obstricti maneant, apud instabiles & imperitos, in-
prinjis apud legis zelotas facilem, & simul periculo-
sum, fuisse prolapsum ad errorem hunc tertium & anti-
christianum, & nonnullos in huius & istorum erro-
rum confusio, magnoque periculo, fuisse positos.
Exemplo sunt Hierosolymitani illi zelotæ, qui Ant-
tiochiam digressi turbabant istius loci ecclesiam, iden-
tidem urgentes circumcisio[n]is necessitatem ad ipsam
quoque salutem, dicendo: *Nisi circumcidamini, more*
Mosaico, non potestis saluari. Act. XV, 1. Quibus
turbis per synodi Hierosolymitanæ decre-
tu[m] medendum erat.



ET p[ro]p[ter]e q[ui]o cetera sibi omnes coniungens est
ceteri

RESPONDENTI

S. D. P.

PRÆSES.

Responsione publica defen-
denda tibi sumfisti, carissime Wie-
lande, ea doctrinæ Christianæ ca-
pita, quæ in ea sunt primaria; vt
pote ad salutis nostræ per protoplastos amissæ
& per Christum restitutæ fundamentum & or-
dinem pertinentia. Nec dubito, te pro diligen-
tia tua, huc vsque in studiis præstita, in actu dis-
quisitionis academicæ publico exspectationi meæ
ac doctissimi auditorii esse responsurum. Quid
vero tui sit officii in posterum, ipse facile no-
ueris, etiam me non monente. Et hoc ipsum
explebis, si fedulam dederis operam, vt do-
ctrinæ istæ, quas hæc commentatio nostra com-
mendat, cum reliquis omnibus eo pertinenti-
bus

bus per omnem vitam sint depositum tuum, au-
ro, immo ipsa etiam vita, carius. Hoc au-
tem pretium quod ipsis statuas, tum demum
declarabis bonis omnibus, si dogmata ista, *νατ*
ξοχὴν practica, ipsa vita exprimas: & vita qui-
dem præcipue interiori, qua, nobis ac seculi
præsentis vanitatibus mortui, **CHRISTO,**
DOMINO NOSTRO, vnice viuimus.
Hanc enim vitam interiore exterior omnis se-
quitur, vt effectus caussam suam. Quæ vt ita
in te se se exferat, ex animo precor, Deum
etiam atque etiam veneratus, vt longioris tui in
patriam itineris ipse sit dux & comes.

Halæ Saxonum die XXI, Sept,

MDCCXXIV.



Jg 6179

ULB Halle
002 675 65X



3



Ant.

A.N.
B.I.L.D.
H.1.
Diss.



OGDOADIS DISSERTATIONVM
DE
HAERESIOLOGIA
SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI
ET SECUNDI,
SECUNDA
DE ILLIS
DOCTRINAE
CAPITIBVS PRAE-
CIPVIS,
PER HAERESES IN SCRIPTIS APO-
STOLICIS MEMORATAS DEPRAVATA SVNT,
ET AD QVAE HAERESES, ALIHQVE ERRORES SE-
CVLI PRIMI POSSVNT RE-
FERRI:
QVAM
IN REGIA FRIDERICIANA
DIE SEPT. HVIVS MDCCXXIV. ANNI
PRAESIDE
D. IOACHIMO LANGIO,
S. THEOL. PROF. ORDIN.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
RESPONDENS,
THOMAS ADAM Bieland/
BIBRACENSIS SVEVVS,
S. THEOL. CVLTOR.

HALAE MAGDEB. TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.